

147

IMPERATOR CÆSAR
FERDINANDVS II.

PIVS,
FELIX, AVGVSTVS,
REX GERM. HVNG. BOHEM.
DALMATIÆ, CROATIÆ &c.
ARCHIDVX AVSTRIÆ,
DVX BVRG. STIR. CAR. CARN. SILES.
PRINC. SVEV. MARC. MOR. LVS. BVRGOV.
LAND. ALS. COM. HAVSP. TYR. &c.



Vnum tuum Tibi fisto AVGVSTISSIMA
NEPTIS, Pijssimum FERDINANDVM, eò
lubentius, quò toto genio FERDINAN-
DÆO in te regnante, Tu ipsa etiam in eius
pietate dicèris. Imò Tu ipsa dices FERDI-
NANDVM tuum; nam hæc magna laudum
omnium thesis magnitudine suâ famam:
obruens, dicenti penitus intercedit. Ad ex-
plicandum in totâ suâ mole tam immensum
Gigantem, brevis est cum grandi suo penicillo
Timanthis manus: ad exprimendum cum totâ
suâ pulchritudine tam nobilem Alexandrum, rudis est cum suis pro-
digiosis lineis ars Apellæa. Tu sola auitis omnium virtutum lineamentis
totum reddes, nec tantum coloribus, sed & luminibus suis FERDINAN-
DVM. Ego de meo interim calamo obscuro, minimèque illustri, illinam
vmbas, totamque FERDINANDÆÆ imaginis picturam exhibebo.

Alij FERDINANDVM dixere Pium, alij Maximum, alij vtrumque
reciprocante nobili splendore titulorum, Maximum, quia Pium, Pium,
quia Maximum. Et certè hi tituli disiungi non possunt. Quis enim sine
pietate maximus vnquam fuit, aut pius sine magnitudine? Dicamus er-
go FERDINANDVM Maximum Pietate, quæ omnium ducens virtu-
tum choragium, stipata magnarum Sororum choro prima FERDINAN-
DVM occupavit, contulitque nobilem titulum. A parentibus pijssimis

1578. 7.
id. Iul.
Parentes
Ferdin.
II. & or-
tus.

CAROLO Archiduce Austriaco, & MARIA Bauarâ, iunctis magnis stirpibus, quæ Herculeæ in Germaniâ columnæ, bacchanti hæresi non plus ultra obijciunt, metamque omni impietati, primam traxit FERDINANDVS nobilitatem Pietatis, cum omnium gentili splendore virtutum. Vtrique Austriæ, ac Boicæ Genti, firmis iam plurium sæculorum radicibus.

*Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria: nobilitas sola est, atque vnica, virtus.*

Nunquam non salutaria fuere in sua coniunctione, hæc splendidissima, Septentrionis Astra, geminæque bonorum omnium cynosuræ. Præter hæc domestica sidera, alia ne quære in FERDINANDI fortunatissimâ geniturâ. Sanctissimos Bauaros Cæsares, & Austrios Archiduces, HENRICOS, & LEOPOLDOS horoscopos esse decebat FERDINANDÆ Pietati, non incestam Venerem, sanguinarium Martem, adulterum Iouem, trifurciferam Mercurium, aliosque suis sceleribus famosos Planetas. Dominatorem Pietatis, quæ cælo, terrisque dominatur, inter astra numquam inuenies. Ita inde sortitus est FERDINANDVS à naturâ pietatem, à pietate naturam, vt ab ipsâ simul factus, & ad eandem natus, imò altera in alteram, natura in pietatem, pietas in naturam migrasse videretur.

Primiâni
pijssimè
traducti.

Admouit Cælum vbera lactenti, vt pietatem lacteam summi candoris, ac suauitatis, ipsius Dei genium cum vitâ instillaret. Prima siquidem sacrauit FERDINANDVS verba virtuti, Cælo vota, primumque vestibulum vitæ visum est aditus ad proxima adyta sanctitatis. Euni, qui sic fari inciperit, & agere, sine piaculo infantem, aut tenerum, nemo dicet. Ætates non planetarum errantium peregrinatione, sed cælestis, cæloque semper affixæ gloriæ cursu, & statione, non monstis stellarum, sed virtutum, in illustriori, quem Pietas dabat zodiaco, euoluit. Ipsas horas cælo suo, ac sideribus numerauit. Imò nec distinxit ætates; nam nullum ferè momentum vitæ FERDINANDVS traduxit, quod omnium laudes non complecteretur ætatum. A primis siquidem etiam annis, & candidorum maturitate consiliorum incanuit, & Heroem egit, ne dum virum, & adulto viguit virtutum robore, & nullam prætulit præter eam, quam taciturna modestia dabat, infantiam. Omnis illi flos ætatis amenissimus terris fuit, cælo suauissimus, in quo cælestes apes, virtutes nimirum omnes, erudiendum pretiosissimum in nectar succum inuenirent. Adhuc Ephebus in anlâ Bauaricâ Regio tot pijsimorum Principum Lyceò apud Vuilhelmum, cui *Religiosi* titulum indidit superius, noltrumque sæculum, non alia discere potuit, quam basilicæ elementa religionis. Quid enim aliud docere poterat Princeps, & Dux religiosus vel solo suo Principe exemplo Magistro, & Duce, quam religionis maiestatem?

Ingolsta-
diensis
Academia
rector cre-
ditur.

Ab hac ad Ingolstadiensem Academiam traductus ita feliciter sapuit, vt omnium scientiarum Encyclopediam, breui gyro concluderet. Vnde illius nobilissimi Athenæi Rector, virtutum, artiumque bonarum pretio, & ambitu coronatus, prius literariæ Reipub., quam Romani Imperij meruit solium obtinere, vtrumque etiam ante Imperium Antoninum Cæsarem

sem geminato titulo gloriâq; in se iungens, & Philosophum, & Pium. Siste peregrinantia tua vota per fabulares non mundi, sed intermundiorum ideas, eorumdem votorum magnitudine Maxime Plato: beatam tibi Rempublicam dabo, & aliquid ultra tua vota, regnante deinde FERDINANDO non philosopho tantum, sed Pio. Quis reuocandam ab exilio in vrbes, aulaque veritatem non speret, vbi Princeps instituitur magister veritatis, & Philosophia non sordidata vulgari latebit sub pallio, sed paludata Imperatoriâ splendet in purpurâ, totamque maiestatem suam explicabit, summa veri, rectique auctoritas.

Interim prima proditur tantæ felicitatis Aurora, instatque volucris rotis è cœlo FERDINANDÆVM hoc, quod viuimus sæculum, cum consequentibus annis ad omnem felicitatem initiatum ab auspiciatissimis nuptiis ipsius FERDINANDI cum MARIA ANNA Vuilhelmi Religiosi Baioaria Ducis filiâ, & Maximiliani Septemviri multarum palmarum triumphalis Herculis, sorore, Heroinâ sanctissimâ, tibi que MARIA ANNA Reginarum maxima non vno hoc MARIÆ ANNÆ nomine, sed omnium virtutum nominibus, titulisque cognomine. Ex inuictissimo Septentrionis Regnatore FERDINANDO III. Pio, Felici, Augusto, eiusque Augustissimis Liberis, & Imperatrice, ac Regnatrice sobole agnoscere possumus, quantum ultra diuina piacularia animarum bona, anno illo sæculari, felicitatis Cœlum terris indulserit, veluti cœlestium indulgentiarum auctarium. Eodem anno vt sæculum, quod nascebatur ex sua Pietate dedicaret, cuderetque, si non aureum, saltem pium, rarò summæ pietatis non exemplo tantum, sed prodigio, in oculis totius Italiæ Prouinciarû omnium Regina, qua tanta vestigia memori semper cultu releget, & venerabitur, aureo sceptro in humilem Scipionem viatorium decrecente, penulâ purpuram, omnesq; illius splendoros extinguente, Pedes cum Regiâ Coniuge MARIA ANNA potestatis, pietatisq; consorti ad DEIPARAM LAVRETANAM, peregrinationem inijt, vt quæ erat omnium victrix laureata pietas, triumpharet in laureâ, non nisi ex Mariano illo cœlesti laureto decerptâ. Habuit Italia, hisce sæculis, quos veneraretur Heraclios, & Helenas, communi cum Deo amore crucis Amasios. Exponet in posterum Lauretana miraculorum Officina inter pretiosiora votiua anathemata FERDINANDVM, & MARIAM ANNAM, aureos Archiduces, ad Christianæ demissionis miraculum Pios. Docuere quam cynosuram magistrâ itinerum aspicerent Austrij Heroes. Addita sunt, vt omnes haberet numeros peregrinæ pietatis nobilis expeditio, crebrum pro viatico ieiunium, & qualia futurum deinde Imperatorem decebant, in populos Pauperum, eleemosinarum congiaria. Nec inde mirum tumultuantes postea, quas regebat prouincias innocenti vti debebat esse Pietatis, victoriâ, sola sanctitatis famâ in sui reuerentiam FERDINANDVM composuisse, veluti admiratione tam pij Principis fideratos, ictosque de cœlo, & minimè reluctantes ad auitæ religionis normam reuocasse. Eius Pietatis sanctissima, otia interturbante classico, triennale bellum cum Venetis gessit, eâ successus felicitate, vt potentissima Respublica, hisce annis Othomannici

*Nuptia cū
Maria
Anna Ba-
uaria.*

*1600.
9. kal.
Ma.*

*Peregrina-
tione Lau-
retana.*

furore donatrix, æmulaque in Imperio, marium Orientis, ad honestas pacis conditiones descenderit.

Adoptio ad regna, & Imperiū Austriacum.

1617.ka.
Iul.
1618.ka.
Iun.
1619.ka.
Ost.

Non poterat FERDINANDVS pacatis titulis, bellicâque laude iam Augustus, principe licet domo contineri. Regiam posebat tanta Pietas, & Augustale, vbi cum maiestate toti terrarum Orbi spectabilis regnaret, excitaretque publicos amores, & cultus populorum. Nullo illicio potentiori rapiuntur boni populorum amores, quàm moribus optimi Principis, qui in Regibus etiam Reges sunt, & adorantur, ne dum amantur. Imperitum vulgus oculis caret quibus virtutes aliquando in suis coloribus intueatur; vnde hæc ipsa cælestia dona, se ipsis pretiosissima sepius ex purpurâ estimat, colit ex famulatio, veneratur in folio, nec nisi cum sublimes spectantur, suspicit. Itaque continuatâ felicitate tres annos FERDINANDVS tribus pretiosissimis calculis, è Cœli vrnâ eductis, quibus ad Bohemię, Hungarię, ac totius Germanię Regnum vocatus est, numeravit, eosque non consulatibus, sed Regnis, non fascibus, ac securibus, sed sceptris, coronisque initiatos, fastis inscripsit Austriacis. Imposito deinde post nobilem, & coronatam Trieteridē honorum suorum celebratam, Imperatoris nomine, ac Diademate, cum immenso orthodoxi totius Orbis plausu, cepit Cæsar, & Augustus Cæsarem cum Augusto miscere, & hostium victor, & pater populorum. Belli etiam, pacisque ornamentis cum optimis Traianis, magnisque Constantinis, imò cum suis maximis ALBERTIS, FRIDERICIS, MAXIMILIANIS, & CAROLIS propagasset Imperium in ipsis initijs Principatus, nisi Phlegræa Nouatorum natio montes montibus, Pelion Ossę, nimirum Principes cum populis conspirantes addidisset, vt è cœlo si fieri posset simul Deum, & FERDINANDVM è folio deturbaret.

Bohemiam cum Belium.

Bellum Hungaricū & Dacicum.

Bohemi ex vna parte Palatinum Septemvium Fridericum, Vangionum Principem, abiurato prius FERDINANDO Pijssimo Cæsare, impiâ inauguratione Regem, proclamant, trahuntque in sceleris cognationem, affines Morauos, Lusatos, Silesios. Tum externis amicorum Batauorum auxilijs, perduellionem armant, aduocantque ad stabiliendum Pseudoregis caducum solium plurium Principum auxiliares manus, Vuirtembergici, Anhaltini, Ansbacchij, Hassi, Durlachij, aliorumque Germaniæ Procerum, quibus tanquam sine impietatis Atlantibus Imperiales. Vrbes hæresi laborantes, aperte vbique, arma, militemque suggererent. Ex alterâ parte Hungari Bethlenium Gaborem Dacię Principem, Othomannicis, ac Scythicis subsidijs stipatum, abdicato contra ius, fasque Cæsare, sceptro, ac purpurâ donant, Regisque nomine. Imperare FERDINANDVS simul cum hæresi non vult: hæresis cum FERDINANDO, in quo Deus regnabat, non potest. Imperatrice Pietate non est mirum, quod Hæresis tyranna, omnisque eius stipendia merens populus flagitiorum, rebellaret. Mirum fuit tantum illi audacię, tantum virium fuisse in regno Pietatis. Verum quid impium non expectari debuit FEDINANDI Pietate armis Bohemicis, Marcomannicis, Batauis, Pannonicis, Dacicis, Scythicis, Turcicis, & ferè totius non solum Septentrionis, sed Orientis coniuratione circumfessâ. Aperto Erebo
emissa

emissaria furia Hæreseos ministræ, omnem ferè Germaniam aduersus FERDINANDVM accenderant, sed clausum cœlum non erat, nec deerant illi fulmina, quibus se in Cæsare tutaretur. Stetit FERDINANDÆA Pietas mole suâ, & rebellanti vndâtiū populorum Oceano, constantiæ suæ rupem obiecit; vnde allisi reciprocantes aquarum ariètes, non læderent ad ruinam, sed emacularent ad nitorem, quasi non in hominis, sed in scopuli pectus irruissent. Aduersa auersos feriunt, non aduersos, sua vulnera infligente Fortunâ, non stantium pectori, sed fugientium tergo. Immerfabilis est vera Fortitudo, in ipsis naufragijs portum inueniet. Odoriferi succi virtutem esse scias: cum flagrat, fragrat, explicante igne veluti vitali, bene olentem animam. Frangi poterat Imperij columnen FERDINANDVS, non flecti. Nihil nocere potuit illius innocentia, quem Cœlum non sospitabat tantum, sed armabat, Religionis detrimentis, & lucris Imperij felicitatem metientem, censumque numerantem. Alijs altris cadentibus, nec leuiter quidem Oceano tingitur Australis polus. Nihil illustrius fulgurât, nihil tonat magnificentius, nihil victoriosius fulminat Pietate, vbi nubem fregit, & obitantes inimicos halitus disiecit. Iam mutuis certabant officijs Deus, & FERDINANDVS: ille Ferdinandi hostes perdebat, hic Dei.

Praga itaque flagitij Metropolis, & perduellionis caput petitur, vt vno ictu rebellis numini, & Cæsari prostrata in Capite Germania caderet. Ita planè accidit, neque visa pugna est iniri cum hostibus, sed cum hostijs, quæ in victoriâ litabantur cœlo, suæ causæ manifestis auxilijs patrocinant; vnde victimarum more, ignauè, vel cæderentur, vel cederent. Iphis primis congressibus exalbescente post Caroli victorias iterum Albi, ad Austriacas acies, ex sublimi suburbano Colle, vt victoria spectabilior esset, cum Friderico Psendorege, sexaginta millium militum exercitus suffus, fugatus, atque occidione ferè delectus est, Bauaro Cæsarianarum copiarum Ductore, eâdem manu fortunam Cæsaris, & amentata suæ fortitudinis iacula in hostes, ictu nunquam fallente victoriam, iaciente. Cum Cæsaris Pietate multum victoriæ sibi vindicarunt PHILIPPVS III. Hispanus Monarcha potentissimus, & Sigismundus III. Sueciæ, & Poloniæ Rex inuictissimus auxiliarijs, quas miserant, copijs etiam ipsi victores. Erudiri debuit plagis Hæretica Ægyptus, quæ beneficijs non profecerat. Circurata est Herculis clauâ Lernæa Hydra, si minus prostrata. Illud non infimum locum obtinuit in victoriâ pluribus laureatâ prodigijs, quod eâ die imò & horâ reddita sit Cæsari, ac Deo Bohemia, quâ in christianis sacris, quæ pseudoeuangelici Fridericiani, vbiq; execrandi, violabant, canebatur ab Orthodoxis Sacerdotibus solemnè ritu *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; quasi nunc supra vetera miracula, & Iericuntinas victrices tubas Sacerdotali non clangore, sed cantu, sine vllis bombardarum tonitruis, ac fulminibus, vt Deo simul reddantur, & Cæsari, quæ sua sunt non iam vrbes, sed regna ipsa expugnentur. Ingenti lucro Bohemia Fridericum amittit, pro quo recuperat FERDINANDVM, sed maiori, cum etiam Deum. Imperatori cessit victoria, triumphus verò Imperatrici Cœli, terreque MAGNÆ DEIPARÆ tamquam veræ

*Victoria
Bohemica*

1620.
K 18.
Nov.

*Ex manu
bys victo-
ria tem-
plū B. V.
extruitur.*

veræ Nicopææ victoriarū Archifectæ decernitur, imò & Capitoliū extruitur ex hostium manubijs, in eodem colle pulcherrimarum palmarum feraci. Quid aliud expectari poterat ab AVGVSTO, qui ex Laureto Mariano prodierat Imperator? Scit cui Planetæ dominatori debeat suas victorias Austriaca Domus. Hac etiam nunc, quod in primis Pijsissimis FERDINANDO, & PHILIPPO equalibus curis diuisum fere Orbem Orthodoxum regentibus, gratulor, Austriacarum rerum Dominā, Auspice victoriarum, Sospitatrice vrbium, Reginā populorum, Preside Regnorū, belli, pacisque Moderatrice pugnatur, vincitur, triumphatur. Interim Palatinus tum è Solio excussus est, tum ex ipso Septemuirū Collegio, adoptato Maximiliano Bauaro, in eadem fuga, Bohemico sceptro, & Septemuirali Calculo simul è manu elabente. Bohemiæ fato Rhenanus Principatus rapitur, partem superiorem Tyllæo, inferiorem Spinulā inclytis bello Ducibus, occupantibus. Amplissima bibliotheca Palatine Aulæ spoliū princeps, & Philadelphus Regibus dignum, GREGORIO XV. Pontifici Maximo FERDINANDVS Cæsar dono misit, liberatis simul cum hominibus ab Hæretico iugo libris ipsis, ac manu missis, & pijsissimè magnificentissimèque apud supremum Orbis terrarum Doctorem, Christianorumque Sacrorum Regem collocatis.

*Victoria
Hungari-
ca sine
Dacia.*

1621.
1622.

*Subigitur
Cæsareis
armis Pa-
latinatus.*

1623.

A Bohemiâ Cæsaris felicitas in Hungariam transfertur, & pronoca à fecunditate aliâ ex aliâ lauream parit. Gabori Bethlenio Daciæ Principi, victorijs Cæsarianis deiecto, fractoque, inauspicata purpura, regiumque nomen detrahitur, deditis omnibus Cæsari, quæ in Hungarico Regno obtinebat, ac si personatus tantum Princeps in amphitheatro mundano breuiem fabulam sui, populis spectatoribus dedisset. Iterum ad Rhenum reditur, ubique classico victoriam canente, miraque celeritate à Tyllæo triumphatur de Comite Mansfeldio, quem copijs è diuersarum nationum colluue, in vnum corpus, siue potius monstrum conflatis, fama erat, quatuor potentissimorum Regum, personam sustinere, vt maiori cum maiestate vinceretur, & post Pseudoreges, quatuor veri Reges Cæsareis armis vno prælio magnificè sunderentur. Nec vnica tantum, sed gemina eodem prælio victoria parta est, reddito post captâ Heidelbergham, arcem principem, Palatinatu, Deo simul, & Cæsari, reuocatoque ad suam priscam patriam Catholico ritu, dudum proscripto. Arridebat post tot bellorum sanguineos nimbos, è ferrugineis nubibus læto nuncio Iris veluti cælestis, mater pacis, tranquillaque serenitatis, cum noua illam belli tempestas disfecit, atque iterum Germanicum Cælum fædè inhorruit, ingentes deinde iras depositurum. A Daciæ Rege FERDINANDO Cæsari bellum indicitur, inferturque; sed cæsis eius copijs ad Calenbergam, Lubecam, & alijs in locis, subactâque omni eâ regione, quæ inter Visurgim, & Albim, vsque ad Balthicum Oceanum interiacet, ipsâ Holsatiâ, & Cimbricâ Chersonesô debellatâ, Danus deleto exercitu fugatus, vulneratusque; ad petendam pacem adigitur. Admirabilis fuit victoriæ modus, ac procul dubio è cælo delapsus, quam de Alberstatensi Duce, Dani Regis rem bellicam moderante, retulit inuictissimus Tyllæus, Cæsarianarum copiarum Ductor. Coniurato siquidem aduersus Danos Cælo, quos fulminatum ma-

machinarum tonitru, fulgur, ac fulmen, non profligarat, fumi nebula primam mortis imaginem, quam æterna cæcitas mors ipsa sequebatur, obijciens prostravit, & Austrijs, pro Austrijs ab Æolia Empyreï immixtis pugnavere. Iterum etiam Mansfeldius, luculentam cladem accepit, eâ ipsâ laureatâ die, quâ FERDINANDVS in Arbitrantium Septemviri Senatû, inauguratus fuerat, Imperij insignibus. Eodem siquidem Horoscopo felicitatis, quo FERDINANDO Imperium natum erat, etiam servabatur, nimirum in Aultriacâ Domo pene dixerim cælesti, Dominatorem Deo, contra cuius hostes Romanarum Aquilarum victricia signa à FERDINANDO inferebantur. Ausa est Aultria ipsa, quam veteres Chronographi Germaniæ cor appellant, nos etiam caput dicere possumus ab Aultriacâ Familiâ imperante, post tot Regias victorias bellum plebeium mouere Pijssimo Principi, centuriatis ipsis agrorum cultoribus. Non vacabat tamen periculo rusticana coniuratio, quia quidquid erratur à capite insania est, & lethale vulnus quidquid peccatur in corde. Sed statim FERDINANDVS suis victor occurrit, qui triûphator prædicabatur etiâ apud externos. Iussa est Aultria tota Aultriacos fasces venerari, & bellum hoc paganum, maiori felicitate, quia summâ celeritate, quâ servile Romanum sopitum est. Pacata sibi Germania, tota iterum bellatrix cum Cæsareo milite in Italiam migrat, peregrinorum armorum toties campum, & spoliarium, ac Mantuæ nobilissimæ vrbi admotâ, post longam obsidionem illam subigit, dubiâ adhuc opinione, plusne illa Mantuana expugnatione utilitatis, an detrimenti attulerit Austriacis rebus. Certè longus luctus Mantuanis Cynis etiam non moribundis in vastitate, & ferè dixerim busto opulentissimæ vrbis, arcisque totius Europæ munitissimæ, in funere alieno, sed communi, indictus est.

Interim Hæresis ex inferno serpente Cadmæos dentes crescentis semina belli spargens, totum iterum aduersus Pium Cæsarem Septentrionem, armabat. Nisi ferro, & igne non piâ manu, sed Herculeâ, omnia simul hæreticæ hydræ capita plectantur, sobolescit statim eorundem capitum numerosa familia. Aquilone procellis grauido aduersus Austriam felicitatem mugiente, ferenteque è glaciali mari madentibus adhuc alis stillantes tempestates Germania ferè è suis sedibus emota est. Scilicet

Armorum sonitum toto Germania Cælo

Audijt, insolitis tremuerunt motibus Alpes.

Primus ipse Gustavi Adolphi Sueciæ Regis ex vltimo Septentrione, Seminario illo barbararum nationum, quæ perniciem sæpius Romanis Imperatoribus, & ferè humano generi attulerunt, accessus, cum innumerabili Gothorum, Vuandalorum, Finnorum, Finmarchiorum, Finlandorum, colluie formidandus fuit. Adiuncti sunt Pomeraniæ Dux, & Hassiæ Landgravius, cum Saxone, & Brandeburgico septemviris. Francofurtum, Hanaia, Norimberga, Spira, Argentoratum cum alijs magni nominis Imperialibus vrbibus, adiectæ sunt Suecici Regis bellicosissimi, ac victoriosissimi potentia, partim vi victæ, partim fæderibus vincæ. Hinc Cæsariano exercitu sub magno Tyllæo summo militum Ductore, toties victore, palmario prorsus viro ad Lipsiam profligato, non solum vsque ad Rhenum,

1626.

1628.
Mantuana expugnatione.

1630.
19. Jul.

Bellum Suecicum cû Gustavo Adolpho Rege.

Virg. I. Geor.

1630.

1631.

ac Danubium, sed usque ad Rheticas alpes Suecicus veluti Alexander fulmina, quibus ferebatur intorquens, eodem cursu gloriae pugnator, victor, ac triumphator, ducentis fere urbibus, Austriaco Imperio ereptis, Lindauum, inter alpium claustra oppugnans, ipsi iugulo Italiae, & Europae cordi, ferum, quod tot laureas mesuerat, intentauit.

1632.

Claud. de
l. St. l. 3.

Omne quod Oceanum, fontesq; interiacet Istri

Vnius incurfu tremuit

Miratique ipsi ferè sunt

Sine cade subactus

Servitio Boreas, exarmatique Triones

Tempore tam paruo.

Fama interim multorum linguis loquens, omnia de more, in maius augebat. Expectabatur solemne in extremis rerum Austriacarum articulis, è Caelo fauentissimi Numinis prodigium, ac veluti fati auxilium. Ad fuit opportunissimum, nunquam Caelo fallente sui FERDINANDI Pietatem. Cui verò Principi Caelum se magis impenderet, & exhauriret largitione bonorum, cui militaret victoriosius coniuratis etiam miraculis, quem auspiciatus inopinatis triumphis supra politicorum coniectorum iudicialia pseudooracula, destinaret, quam illum, qui nunquam sitente, classico caeli hostibus aeternum bellum indixerat? Magnis habitis per totam Germaniam delectibus militum, comparatoq; amplissimo exercitu, cui triumphales illi Triumviri Bauarus, Vualdestheinius, Poppenehinus praerant, profligato prius Hornio, ingenti ad Bambergam strage, & expulso à totâ Bohemiâ Saxone Septemuiro, iisdem campis, quibus anno superiore certatum fuerat, orbis terrarum, & Imperij fata felicissimo euentu committuntur. Enimuerò caeso Adolpho Rege, qui Regali sanguine solum infecit, adhuc Tyllianae cladis recenti sanie perfusum, & ferè dixerim non cruore magis, quam pudore erubescens, vehemens ille Gothicus turbo, Aquilonis alis, biennialibus procellis Germaniam percurrens, tot fulminibus grauis, Austris cum Imperio potius, quam cum violentiâ aduersantibus, expirauit. Ità Suecici Aquilones, Austriacis Aquilis cessere, & concepta non Germaniae tantum, sed totius Europae tyrannis, supra veteres Gothorum, Vuandalorum, Hunnorum, Longobardorum inundationes Adolpho occiso in femine elisa est, priscaque religio, quae ruinam sub Trionibus minabatur, stante FERDINANDO suo triumphatore Hercule, dormitisque monstris omnibus, stetit. Per eosdem dies etiam Fride-ricus Palatinus primus Germaniae tranquillitatis, rerumque Austriacarum perturbator, obiens timeri desijt, vnde sua facies Germaniae reddita fuit.

1632.
16. Nou.

*Fridlan-
dinus Cesa-
ri perduel-
lis noua
molitur et
desecta cõ-
iuratione
de medio
sollitur.*

Quiescebat sub suis palmis laureata, ac triumphalis FERDINANDI Pietas, cum totius Germaniae virus in vnum Fridlandij furij ambitionis, nimirum insanis Bohemicae coronae votis agitati caput migravit, dum eius nutibus ferè totius Imperij vires nitebantur. Sanguinaria Vualdestheini consilia auctorem, antequam omnino in publicum prodirent, suffocarunt, cum alioquin de eius perfidiâ satis, superque constaret. Medio in orbe terrarum Principes viri viuunt, factique proceri, cum Proceres etiam è longinquo spectantur. Palatinis sceleribus, quae purpuram induunt,

duunt, & in auro splendent, vix potest secretum dari. Occupatur cum scelesto in foribus scelus, & sub Pij Imperatoris auspicijs Fridlandio cum Illoo, Tersica, & Scinchio bipenni hastâ transosso,loricatum amplissimo exercitu pectus, palmari ferro transfoditur.

1634.

Hinc secula discant,

Indomitum nihil esse pio, tutumue nocenti.

Cl. de Hon. conf.

Nullum est vallum, nulla fossa magnis flagitijs, etiamsi montes, & maria obijcias. Accessit ad cumulum felicitatis reportata de Suecicis reliquijs, capto Hornio, Vaimarioque fugato scientissimis rei militaris Ducibus, singulari post homines natos victoriâ, ab utroque FERDINANDO Germanico, & Hispanico Filio, & Sororis Filio, quibus nominibus nihil dulcius Cæsari esse poterat, aut maius.

Hoc bellorum, ac victoriarum cursu FERDINANDVS Pius Imperium Austriacum octodecim annis sustinuit, amplificauitque, totidem, prorsus à RVDOLPHO I. Magno fundatum, Principe Augustæ gentis, quem non vitæ tantum regnatoribus annis, sed virtutum numeris æquauit, opinione felicitatis non absimilis, par morum facilitate, pietatis titulis maior. Tandem in eo pietatis sinu, in quo vixerat deterrimo sæculo optimus Imperator sanctissimè obiit, & Cæli, pro quo pugnarat, ac triumpharat, Capitolium, succollantibus, currumque triumphalem trahentibus hæresi, ac perduellione, zelotypæ religionis flagello cæsis, inuectus est. In ipso vitæ, mortisque confinio admonitus supremæ necessitatis fastos suos ingenti suæ virtutis testificatione coronauit dicens: *Ego ex ijs quæ meliora putauit nihil omisi*, atque inde plenus fide æternorum, spe beatitudinis, Numinis amore, inter has tres christianas Charites, Cælum petijt. O morientis innocentie cantum olorum, immortalem tamen, qui cælo, terrisq; in æuum dulciter sonabit! Sed Augusta FERDINANDI pietas in eas angustias cogi nõ potest, vt à me describi possit, aut debeat, nobiliorem iam actorem calamum sortita, ac theatrum maius in Aultriacis Annalibus. Ea dicta sunt grato calamo, quæ magna veritas extorsisset ab ingrato.

1634.
14. Feb.

*Obitus Ferd. Pij-
simus.*

Infantiam Pietas FERDINANDO fere abstulit; quæ enim ætatis acerbitas, vbi eadem semper fuit maturitas Pietatis? Eadem diuinorum consiliorum interpres, ac nutuum vicaria, septemuiralia suffragia collegit, & Augustis insignibus decorauit; debuit enim quod regnaret FERDINANDVS non tam pio generi, quam generositati pietatis. Nulla virtus quæltuosior est pietate, vltra inuidiam tamen, & citrà fordes. Eadem totum FERDINANDI Imperium, omnesque Imperatorios annos, Deo consecrauit, ostendens ad certamen virtutum, ad prodigium sæculorum, quid summa fortuna cum summâ pietate posset. Eadem immensum in superna omnia amorem, sub FERDINANDI Cæsaris purpurâ nutriebat, sanctissimis tantum hisce flammis accenâs, ac fulgurante. Incredibilis erat ardor pietatis, quo erga Deum rapiebatur, in sanctissimæ Eucharistia diuino ferculo Regnantem, veluti in solio gratiarum, apertissimis prodigijs Fundatorem Aultriacæ potentia in primo RVDOLPHO, Amplificatorem in MAXIMILIANO I. in FERDINANDIS Imperatoribus, ac PHILIPPIS Monarchis Seruatorem. Ita Eucharistico Deo, post

*Religio er-
ga Augus-
Euchar.*

omnes victorias festo agmine, plausu, & supplicationibus Christiano ritu decretis, Eucharisticon instituit gratiarum, vt ille solus triumphare in candidâ veste videretur, FERDINANDVS Cæsar, miles laureatus triumphum sequi. Non nisi hac cæli annonâ Antistitâ Pietate affatim distributâ firmabat militem, atque ad victoriam inaugurabat. Ab hac diuinâ hostiâ habuit, vt tot hostes homines vinceret. Nec minus pio ardebat cultu in MAGNAM DEIPARAM: Hanc exercituum suorum Imperatricem vocabat. Illi sæpius in manibus precarij globuli, quibus tamen ipsi eiurata fidei hostes, dicebant formidandum magis esse FERDINANDVM, quam cum maioribus globis fulminalium tormentorum eius exercitus tonarent. Nec mirum inde si Borealem Anguem è Sueciâ: irruentem, & iam cominus aggredientem, non timuit, illa Auspice, quæ virgine plantâ caput magni serpentis, cuius solum in Aquilone sublime est, contriuit. Vnde in Suecico turbine, lacerato publico Imperij nauigio, cum omnia naufragium minarentur, Cæsar insultare his placidissimis vocibus auditus est procellæ mugienti: *Deus me ex hac etiam aqua eruet.* Et certè videbatur FERDINANDVS Austria illa Crux quam stellantem in suo cælo Antipodes vident, Cynosura antarctici poli, prorsus immerfabilis. Assiduus quoque in templis Cælitum cliens, nunc Imperatorias curas aliquo sancto Interprete Numini commendabat, nunc captabat è cælo dictata consilia, nunc bella sacrabat, nunc dicabat victorias, nunc in tortâ in suos iacula robustâ prece retorquebat in hostes, & lacrymis suis pro thure substitutis, Numen orando placabat. Quoties hic pietatis Gigas passis manibus cælum expugnauit, & demissas è cælo apud altaria victorias inuenit, dum eius milites illas ferro scrutabatur in campis? Quoties armatâ flagellis piacularibus Reginâ, dexterâ suo sanguine dibapham verè purpuram tingens, exercitus expugnauit? Quoties solo cilicio loricated propugnauit imperium, vnum opponens armato Septétrioni pectus suam? Hinc inclytus ille amor, iam Austriacis hæreditarius seruandæ, propugnandæque in immensum religionis. Innumera templa extitit ferè tot, quot hæretici hostes euerterunt, Henrico sanctissimo Germanico Imperatore, mille templorum conditore fortasse non minor. Erectis etiam Academijs, aduocatis auxiliarijs Religiosorum manipulis, vbiq; prouidit, ne deessent propugnandæ, religioni, hæresique propulsandæ munitissimæ arces, ac fortissimi toto cælo armati milites, quibus nullos fideliores agnoscebat prætorianos sui corporis custodes.

Hinc etiam Imperator ille genius, malis omnibus, quæ nulla rerum domini reuerentiâ tanguntur, dominans, nec mortalibus tantum imperans, sed quasi mortalitati vniuersæ. Certè in Rempublicam sensuum suorum ita ius exercuit, vt nunquam illam senserit ferè, tot rebellantibus populis, Cæsari infidelem. Eadem vultus serenitate prorsus cælesti audiebat clades exercituum, ac victorias, raptas in prædam, recuperatasque prouincias, proditones Procèrum, & adactos ad iurandam Cæsari fidem Principes, populorum amores, & odia, suorum plausus, & hostium conuicia; quasi orbis terrarum Apex FERDINANDVS suprema illa mundi pars esset, quæ ventis, fulminibus, pluuijs nunquam turbatur, atque inco nculsâ

fruitur

Deipara
cultus.

Eius omni
gena pie-
tas.

Summa
aquanimi-
tas.

fruitur pace, supra omnia aeris bella ciuilia, congressusque bellatorum semper elementorum. Dixisses cum aliquibus etiam, nec immeritò FERDINANDVM II. Pium Austriacum illam nauim, quæ in cælo australi, illustris irradiat, & per Cæli, non maris æquor nauigat, eternâ malaciâ longè supra nostrates procellas, tranquillis circumlata sideribus; ita semper veluti pacato in æquore, magnarum virtutum remigio velificatus est ad portum felicitatis. Nec mirum inde sepius inundanti heresi, non alium aggerem obiecisse, quam animum suum pacatum omnium victorem, paratum potius, vt sepius dixit, non sine stupore audientium, Regno excidere, & extorrem cum Augustâ coniuge, ac liberis viuere apud exteros Principes, quam descendere è culmine, in quo regnabat, Religionis, cum nollet regnare, ancillante Religione, neque recta existimaret consilia politica, quæ in Deum non tenderent, sine erroribus, per lineam breuissimam synceræ Pietatis. Neminem, communi cum Deo causâ putabat fidelem Imperatori, qui Dei fidem abiecisset, fatius ducens in impiorum odio, quam amore versari, à quo abhorrebat, tanquam ab umbrâ impietatis, cum præsertim sciret serpentes viperas hospitalem vterum lacerare, & mordere, manum blandientem. Fuere qui dixerunt FERDINANDVM Cæsarem sub imperatoriâ coronâ Pontificis mentem, sub Augusto paludamento Monachi pectus, sub regio sceptro Sacerdotis manum animasse, & abscondisse.

Syncera
fides.

Exaggerata in Cælum Pietas in homines etiam copiosa descendebat. Solem dixisses qui alioquin Magnorum Principum colossæum simulacrû est; ita FERDINANDVS bono semper publico splendebat, non suo, totus Pietas. Et certè solis instar vbi se non prodit pietas ibi non est: notis nescia, se numero, & magnitudine beneficiorum detegit radijs veluti suis, & mole. Nihil magis diuinum censebat, quam ingentia bona communicare, etiam non petentibus, & plurimis; nam & nimis carè emitur, quod rubore, qui petentis sanguis est, vulnerato corde ad os erumpens, & iniuria fit magnis bonis, si contrahantur ad paucos. Illud aurum non placebat, quod vel splendorem ab altaribus non acciperet, vel miserorum, manibus, oculisque non conferret. Neminem putasses imperante FERDINANDO in Austriaco Imperio pupillum; ita omnium Patrem agebat. Nulli non opem ferebat è suis opibus, videbatque hoc ipso accipere beneficium, quod conferret, Alchimia pietatis suæ beatitati feneratorans ex alienis miserijs, illudq; demû Austriacum censebat esse, omnes homines felices creare. Nunquam adfuit publicis iudicijs, quin pœnas scelerum temperaret, iungens Iudici Principem, & Principi simul Patrem. Clementiæ Regnatricis manu iustitiæ lances librata, minus scelerum pondus sentiunt, manu ad indulgentiam inclinante. Ipsorum suorum hostium vix hostis esse poterat, pijsimus Cæsar. Cum è militari speculâ tormentorum Magister in rebelles aliquot Proceres, simul in vnum globum densatos, ictum fulmineum destinasset, manum incendiario funi admotam his vocibus, quibus ipsius tonantis æris fulmen extinxisset, repræhendit: *Viuant quousque Deus vindex vlciscatur.* Et iure in causâ Communi Dei, & FERDINANDI vindictas Deo referuari voluit. Quid inde mirum si hostes ipsi

Beneficentia.

Clementia.

ipſi mutato in ſuporem odio, admirabantur virtutem, quam oderant, conſeſſi palam FERDINANDI Cęſaris Pietati Cęlum militare. Excitavit Maieſtate Sanctitatis ſuorum reuerentiam, belli victorijs externorum plauſus, miraculis virtutum preſtantiſſimarum omnium admirationem, dubiumque reliquit, plus ne illum ſubditi dilexerint, an hoſtes prædicauerint, quibus tamen moribus ſuis ſupplicium inferebat, cum nihil nocentius ſit aduerſus perduelles, Principis innocentiam. Suis deinde neceſſitatem ferè fecerat pietatis, vnde migrante in laudem conuicio dici poterat contra illius cynicum laconifimum; *exeat aula, qui vult eſſe pius*, de Aula FERDINANDI Pij. Accedat ad aulam qui vult eſſe pius. Norma virtutum videbatur; præſentiam enim ſuam omnem prauitatem corripiebat. Sed ò me Læuum ſi velim omnigenam FERDINANDI pij explicare pietatem, quæ ſicuti imitationi, ita prædicationi non plus, *vltra* erexit!

Ex eius gymnade egregia illa fides, inſignis illa mâſuetudo, incredibilis illa bonitas, altiffima illa prudentia, perpetua illa æquabilitas, ſumma illa fortitudo, conſtantia illa vbique inuicta, illa religio vbique triumphalis, omniumquæ FERDINANDÆARVM virtutum chorus, concentu quodam amabili prodiit. Maior rebus mortalibus FERDINANDVS Pius, omnia attigit virtutum ſaltigia, cedentibus omnibus ferè vitæ imperatricis momentis æuo dignis, in cultum Pietatis. Non aliter penè dixerim viueret Pietas, ſi naſceretur ex hominibus, & regnaret. Eam, quam Auſtriaca Domus geſtat in pectore ad Cęli inuidiam, lacteam innocentiam viam, ſi non gentilitiam inueniſſet, potuiſſet FERDINANDVS II. Pius Auſtriorum Cęſarum XII. condere. Pietatem exereuit, qualem prophanis illis tēporibus in Lycurgo Spartani, in Numã Romani, in Ariſtide Athenienſes exoptare poterant, & Chriſtianis ſæculis admirata eſt Hiſpania in Ferdinandis, Gallia in Ludouicis, Anglia in Eduardis, Dania in Canutis, Germania in Henricis, & Orientis, Occidentisque Imperium in magnis Conſtantinis, & Carolis. Certè cum in annalibus lego Bohemiæ Vuincislaos, & Caſimiros, Hungarię Stephanos, & Ladislaos, Burgundiæ Sigismundos, Auſtriæ Leopoldos ſanctiſſimos Principes magna, FERDINANDI exemplaria architypa agnoſco, ita vt viſus fuerit, non Regnorum tantum piſſimorum iſtorum Regum, ſed pietatis, & omnium virtutum hæres. Eius Pietati, quæ Thaumantis fuit, tot miraculorum architecta, adſcribatur, Orthodoxæ fidei, magna ex parte Septentrionem ſtetiſſe. Vos ſuperi cum tanti viri plauſibus, ſatis eſſe tellus non poſſit, veſtros de cęlo addite: acclamate & dicite hæreſeos fulmen, Eccleſiæ clypeum, Imperij coronam, pietatis Antiſtitem, ſacrarium, ac templū! Ego, quia tam Auguſta pietas prophano ſtylo potius vulneratur, quam ſcribatur, interim cum orbe terrarum, omnibuſque ſæculis tacitus illum cum ſtupore venerabor, vbi in huius annuli palâ totum Heroem ita concluſero. FERDINANDVS II. IMPERATOR PIVS. Hæc omnium elogiorum ſit immenſa epitome, palmaria laus, & miraculo proxima. Quid enim Auguſtius in orbe terrarum, quid inter homines Diuinius, Imperatore Pio, & Deo ſimillimo?

Inſigne
gentilitiæ
Auſtriæ do-
mus.

159

FERDINANDVS II. PIVS.

Apotheosis.

FERDINANDO II. MAXIMO PIO

Apotheosim exhibet maxima illius pietas,

Quæ pium fecit simul, & maximum.

Beabunt mortuum simul cum Pietate illa virtutes,

Quæ viventem cælo consecrarunt,

Et immortalitate donabunt.

Omnes has ducit,

Pietas in FERDINANDO Imperatrix.

Alia armata sunt in hoc caelesti triumpho, alia inermes,

Omnes tamen laureatæ de FERDINANDI laudibus certant,

Et dum aerem plausibus feriunt,

Eundem vulneratum, cantibus mulcent, & sono sanant.

Omnium virtutum chordis, & musici Cæli fidibus,

Ingens vnus FERDINANDÆI cordis fides celebratur.

Tum sola Pietas virtutum Antistita;

Ignem empyreum cum Arabia caelestium odorum

Amore incendiario cordium innocenti, ferens

Augusta pyræ sacram facem his subijcit verbis.

Quia FERDINANDVS non aliam cognouit

Cæsaris fortunam,

Quam Numinis religionem,

Et supra æternam fidei constantiam solium firmavit:

Quia amore caelestium purpuram accendit,

Fortitudinis dexterâ triumphali sceptrum gessit,

Et adamantinam patientiam aureæ prudentiæ

In diademate Augusto inseruit:


Quia ferrum in nomine ferens, aurum in moribus,

Rebelles subdidit potentiâ, Subditos liberalitate erexit,

Et ferro victore ferreum sæculum fundens

Præ-

Pretiosis moribus aureum recudit:
Quia omnes virtutes in se dedicavit Augustas,
Voluitque se Augusto imperare Pietatem,
Pietas cum alijs virtutibus
Cælo locat,
Apud Deum in beatitate semper victurum,
Apud homines numquam moriturum in famâ.



SYNOPSIS GENEALOGICA.

A FERDINANDO II. PIO
AD FERDINANDVM III.



FERDINANDVM Pium, & Magnum, prole etiam Pia, & Magna Cælum beavit. Hac nihil Augustius è cælo spectat Pijssimus Imperator in terris. Præter IO. CAROLVM, quem cælo præmisit obeunti superstes fuit par Heroum, atque Heroidum.

FERDINANDVS III. Ernestus Cæsar inuictissimus,
LEOPOLDVS GVILLELMVS VI. Archidux Austriae,

& Belgij Prorex,
MARIA ANNA Bavarica Electrix

CÆCILIA RENATA Regina Poloniae.

CÆCILIA Vladislao Poloniae, & Sueciae Regi gloriosissimo nupsit, reddiditque, quod ex Jagellonicis Heroinis mutiatum acceperat Austria Gens, omnium nimirum virtutum dotem. Romanae Aquilæ Polonicis Fascibus iunctæ, nihil non auspiciatum dedere. Sed non diu splenduit tantæ felicitatis Aurora, omnium populorum, quibus imperitabat votis digna, quæ æuum purpurasceret. Hæc est inflicta mortalibus pæna, vt magna apud nos ferè nunquam diutina sint.

MARIA ANNA etiam ipsa numerorum omnium Heroïna, Maximiliano Boiariae Duci Septemuiro collocata est, magnis Auspicijs Austriam, Bavarumque sanguinem semper iungentibus, post quam præsertim in vnum Imperium sub Leopoldo, S. LEOPOLDI AVSTRIACI Filio, Austrij, Bavarique Principes coaluerunt. Vtriusque Domus tot Heroes sunt, quot Hærcdes. Iam nulla ferè in Germania claustra essent, inundanti hæresi, nisi Austrij, Boicique, Hercules, Abilam, & Calpem statuissent. Maximilianus Bavarus nobilissimis victorijs, dignam probavit orbi terrarum dexteram, quam iungeret Austriæ Heroïnae. Vnde non immeritò pro nauata triumphali opera à FERDINANDO II. Pio, Septemuirali calculo donatus est. Nihil est quod Bavarica corona exoptet, quando pretiosissimum calculum, toti Orienti inuidendum, quem nescio quo pacto amiserat, recuperavit. A Theodone primo Agelophingho Boiorum Duce sexagesimus, a magno Vittelspachio, sub Friderici ENO-BARBI Imperio, nobilissimo Heroicorù Principù ordine, non interrupta serie deducitur, Vuilhelmi Religiosi filius, & parens Ferdinãdi Mariæ Francisci Ignatij Vuolfangi, cui maxime spei Principi adpreçari lubet inuictissimam & FERDINANDI Cæsaris Auunculi, & Maximiliani Parentis fortitudinem, ac religionem Virgilianis versiculis.

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles

Et pater Aeneas, & Auunculus excitat Hæctor?

Virg. Æn. 13.

Hæreditarium est Maximiliano, eritque Ferdinando perennaturum etiam in posteris celebratissimum illud a grauisimo orbis terræ Concilio Tridentino elogium, Alberto Magnanimo Bauaro dictum. *Veram & Catholicam religionem a clarissimis, & nobilissimis Maioribus suis traditam tanta fide, & constantia conseruauit, vt hisce miseris temporibus in tota Germania firmissimum Apostolica Ecclesia propugnaculum iure optimo habendus sit.*

Archidux LEOPOLDVS Clauo fluctuantis Belgij, ac fere naufragæ Reipublicæ admotus, eandem quam Pater, Fraterque Cæsares inuictissimi Cynosuram respexit fortissimæ Pietatis, & quos bellorum turbines edomare arduum erat armata manu, eadem inermi composuit. Nunc etiam summa felicitate, ac prudentia rerum restaurator, hostiumq; terror, vt serenitatem pacis pariat disiectis diutini belli nubibus ferro fulminat.

& volentes

Per populos dat iura, viamq; affectat Olympo.

Fauete superi, & quando FERDINANDVM Austriacum PHILIPPI IV. Maximi Monarchæ

Virg. Georg. 4.

Monarchæ Fratrem Heroem inuictissimum Belgio ferè tantum ostendistis,

Nunc saltem euerso Heroem succurrere saclo

Ne prohibete.

Virg. I.
Georg.

Non timebunt Aquilones Hæreticos Austrij Heroes, qui indicos Typhones suis auspicijs, nedum armis, diffiarunt. Austriaca felicitas, cum lauris; palmisq; nata, inter tonitrua, ac fulgura tuta est, inclinata resurgit resumens è pondere vires. Nemo, non fortis nascitur in Austriaca palmaria domo, in qua Indigetes virtutes dixeris, Heroes lares. Viximus hic tibi LEOPOLDE, Heroicus labor erit, post acies bella debellare, ac triumphali pace, pugnas ipsas expugnare.

Virg. I.
Æn.

Aspera compositis miscens sacula bellis,

Cana fides, aliaque virtutes omnes inter otia.

Iura dabunt: dira ferro, & compagibus arctis

Claudentur belli porta; furor impius intus

Saua sedens super arma, & centum vincit ahenis

Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Interim LEOPOLDO amplum pro omnibus laudibus elogium sit FERDINANDÆVM Patris, & Fratris nomen.

In FERDINANDO ERNESTO inter Austriades VI. inter Cæsares III. pijsimè nunc, & felicissimè Romano Orbi imperante adhuc superstes pater viuuit, & immortalis illa fortissima Pietas FERDINANDÆA omnium virtutum omnibus coronata; vnde nihil amississe se senserit obeunte FERDINANDO II. orbis terrarum. Hic omnium auitarum imaginum Imperatoriarum colossus gigantæ manus robore, cum mundo rerum habenas rectas, stabilesque sustinet: efferum, semper cum suis Vrbs, & Anguib; Septentrionem domat: de cælo in hostes fulminat summa pietate cælestibus auxilijs innixus, & cælum tam augustis debitum virtutibus de terris expugnat. Hic post duodecim Gentiles Cæsares, in Austriaco Zodiaco Sol iam vtrumque orbem illustri nominis fama impleuit, & per vtriusque solis vias, iuter monstra stellantium virtutum currum egit gloriosissimæ lucis, quod in sole mireris, nunquam occaturæ. Hic omnium Cæsarum fortunam vnus vehit, inter tot turbines procellosi sæculi turam, atque impavidam, etiam si fractus illabatur orbis. Hic simul hæreseos Profligator, religionis Propugnator, Fulminator hostium, Pater populorum, Literatorum, omnisque sapientiæ amantissimus, de terris, cæloque optimè meritis, non solum Magnos Augustos Romano Orbi, magnos Imperio Occidentis Carolos, magnos Ortones Germaniæ reddit, sed omnia implet FERDINANDÆI nominis in Hispania, Germanique sanctissimi semper, ac felicissimi prodigia. Iungit nunc etiam ad cumulum felicitatis Austriam Austriæ, gemino auspiciatissimo hymenæo. Inter tantæ faustitatis plausus imperatibus FERDINANDIS, ac PHILIPPIS, immensæq; felicitatis satum vtrinq; iungentibus.

ite optati moralibus anni:

Ducite virtutes, hominum floresciscite rursum

Ingenijs.

Cl. lib. 2.
de l. Stil.

Interim Austriaci Orbis Romani, Hispanique Regnatores, FERDINANDE GERMANICE CÆSAR MAXIME, & PHILIPPE MAXIME HISPANE MONARCHA, qui concordi nexu omnium bonorum coniugia sociatis, in æuum felicissimum æterna posteritate perennate.

Cl. l. 2.
de l. Stil.

Nam Domus hæc vtroque petit diademata vexu,

Reginasque parit, Reginarumque Maritos.

